



Q. B. D. V.

DISPUTATIO X.

HARMONIÆ
STRUVIO-SCHNO-
BELIANÆ,

Quam cum

*Additis Observationibus Grotia-
nis Parallelis,*

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS SCHULTZII,

J.U.D. INSPECTORIS ET ATHENÆI
GEDANENSIS, P.P.

Anno M. DC. XCI. die XI. Octobr.

IN AUDITORIO ANATOMICO,

Horis matutinis.

Publicè ventilandam exponet

RESPONDENS

NICOLAUS von SCHWARZBERG

Nob. Svec.

GEDANI,

Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETII.



V I R O
GENEROSO AC NOBILISSIMO
DN. NICOLA O
BAUMANN O,

Senatori Inclytæ Reip. Stralsundensis Edecumato
De civitate pariter ac civibus ad invidiam merito
Domino Avo & Susceptori suo suspiciendo.

Qui

uti canos per annos edoctus
Quantum ludat & illudat mortalibus Rhamnusia
Tunc maximè, cum inconstanti rotâ volvitur constantissima,

Ita solâ arte & scientiâ

Constantem reddi Vitam, famam, gloriam
AVITIS vestigiis ejus insistentem
Toties edocuit.

Unde & hujus constantissimi boni primitias
In Illustri Athenæo Gedanensi collectas

Sacras & dicatas Ei esse statuit,

Utque non SEXUS, de quâ disputat,

Sed ÆTATIS LUBRICÆ FRAGILITATEM

Intueatur, submissè rogat;

Et licet benefacta ejus, omnem quantitatem excedentia
nullam admittant COMPENSATIONEM,

MISERABILIS TAMEN DEPOSITI instar ut interea accipiat
quicquid offert

Eumque in sui SOCIETATEM SIMPLICITER VIRTUTUM admittat,

JUSSA ET MANDATA EJUS exequuturus

filiali submissione & diligentia,

exoptat

NICOLAUS von Schwarzen.

DISPUTATIO DECIMA,

Ad Lib. XVI. & XVII. Pandectarum.

DN. STRUV.
SYNTAG.
JURISPR.

THESIS PRIMA.

Macedoniano Scto, de quo priori a discursu actum, affine est Vel-
lejanum, b à Vellejo Cos. sic dictum l. 2. §. 1. ff. ad SC. Vell. Uti enim illo filiisfamil. si ex contractu mutui conveniantur l. 1. CONSUL-
ff. de SC. Maced. ita hoc mulieribus, quibus ex intercessione sua lis
moveretur, succurritur l. 1. pr. ff. ad. SC. Vell. Duar. in tit. Cod. ad SC. Vell. LEJANUM.
pr. Causa ejus est tum imbecillitas sexus & consilii, l. 2. §. 2. ff. d. r. 4. C. a D. 20. th. 51
de sponsal. propter quam & jus ignorare e illis est permissum, l. pen. in pr. & seqq.
ff. de jur. & fact. ignor. tum etiam, quod intercedere & qv. defendere civi- b D. 21. th. 21
le ac virile sit officium, nec simplex, sed cum periculo rei familiaris con- c. D. 28. th. 56
junctum l. 1. §. 1. ff. l. 8. C. ad Sc. Vell. arg. l. 9. ff. de stat. hom. l. 2. ff. de R.
7. §. 2. Instit. de injur. Wesemb. in parat. ff. ad Sc. Vell. w. 2. Cagnol.
ad l. 2. de R. 7. n. 6. Treutl. vol. 1. d. 25. th. 1. lit. c.

2. Intercedere hic nihil aliud est, d quam ream se pro alio facere l. 2. d D. 21. th. 3
§. 1. ff. ad Sc. Vell. Duo igitur requiruntur, primum, ut mulier sese. e obli- b ibid. th. 9.
get l. 2. §. 4. ff. d. r. Deinde ut pro alio f se se obliget d. l. 2. §. 1. ff. & l. 2. f. ibid.
C. cod. Perez. in Cod. d. r. num. 4. & 5. quod utrumque quomodo speciatim
contingat, explicat Cujac. 4. ad African. in l. 19. ff. ad SC. Vell. Duar. ad d. r.
c. 2. Donel. 12. com. 29. & ibi Hillig. lit. D.

3. Succurritur autem mulieri, vel ipso jure, vel remedio judiciali.
Remedium hoc est 1. Exceptio, g si nondum solverit l. 2. §. 1. l. 6. l. 7. l. 8. g th. 1.
§. 2. ff. l. 2. 8. & seq. C. cod. cui etiam post condemnationem locus est l. 11.
& ibi gloss. ff. de Sc. Maced. Sichard. ad rubr. Cod. ad Sc. Vell. num. 9. 2. Repli-
catio, velut in casu l. 17. §. 1. & l. ult. §. 2. ff. cod. 3. Condictio, h si ex in- b ibid.
tercessione contra Sc. facta solverit l. 8. §. 10. l. 24. §. 2. ff. l. 9. C. d. r. l. 40.
pr. ff. de condict. in deb. aut debitorem suum delegaverit. d. l. 8. §. 3. ff. ad Sc.
Vell. Pacius in Anal. Cod. h. r. Bocer. c. l. 2. d. 17. th. 35. & seq.

4. Ipso jure tuta est mulier, si intercessio ejus non in publicum instru-
mentum sit redacta l. 23. §. ult. C. d. r. & si pro marito i intercesserit No- i ibid. th. 11.
vell. 134. c. 8. Auth. si qua mulier C. cod. Quod posterius in tantum pro- P. 769.
cedit,

K



DN. STRUV. cedit, ut nec iteratio hujus intercessionis, quàmvis sæpius facta, quicquam valeat, *d. Novel. & Auth.* nec favor debiti, quòd fortè fiscale sit ac privilegiatum, eam sustineat, *d. Auth. & Novell.* Si tamen vel pecunia, cujus nomine *D. 21. th. 11* mine pro marito intercessit, in utilitatem a ejus versa sit *d. Auth. & Novell. p. 761. pr.* Rauchbar. *p. 1. qu. 34. n. 13.* Gail. 2. *observ. 89. num. 2.* Hering. *de fidej. lib. 5. th. 10.* *juss. c. 7. num. 405.* vel pro marito intercedens *b* juraverit, Guitier. *p. 1. de jurament. confirm. c. 55. n. 6.* Covarr. *in c. quamvis de pact. in 6. p. 2. §. 3. n. 8.* Beust. *ad l. 1. de jurejur. n. 248.* efficaciter tenetur.

e ib. th. 8. 5. Ita verò mulieri subvenitur, ut ex æquitate nihilominus creditori consulatur, cui, si mulier se ipsam ream constituit, actio vetus per intercessionem sublata adversus pristinum *c* debitorem restituitur, *l. 14. l. 16. §. 1. in fin. ff. ad Sc. Vellejan.* quæ exinde Restitutoria vocatur *l. 8. §. 12. & 13. ff. eod. aliàs Rescissoria l. 16. C. eod. item utilis d. l. 8. §. 8. ff. eod.* ad differentiam directæ, quæ adversus mulierem danda erat *d. l. 8. §. 12. ff. d. 1.* aut ubi ab initio obligationem in se solam suscepit, actio nova, quæ itidem utilis *d* est, conceditur. *l. 1. §. fin. l. 8. §. 8. ff. ad Sc. Vellejan.* Azo *in sum. Cod. h. t.* Donel. *lib. 12. comm. 31.* Bachov. *ad Trentl. vol. 1. disp. 25. th. 6. lit. D.*

ibid. 6. Cessat Sc. Vellejanum variis ex causis, & vel statim ab initio, vel ex post facto. Ab initio, 1. si mulier dotis *e. l. 4. §. 1. ff. ad Sc. Vellejan.* aut libertatis causa intervenerit *l. pen. C. eod.* 2. Si callidè aut dolosè *f* sit versata *l. 2. §. 3. l. 23. l. 30. ff. l. 18. C. d. t.* 3. Si pretium *g* pro intercessione acceperit, *l. 13. pr. l. 21. & l. seq. l. 27. ff. l. 23. C. eod.* 4. Si res ad eam principaliter *h* pertineat *l. 13. pr. ff. l. 2. C. d. t.*

ibid. th. 9. 7. Ex post facto cessat, 1. Si intercessionem post biennium *i* confirmavit *l. 22. C. d. t.* 2. Si de jure suo certiorata beneficio huic etiam extra judicium *k* renunciavit *arg. l. pen. C. de pact. junct. l. 2. §. 2. ff. ad Sc. Vellejan. l. 3. ib. n. 4. & D. 30. n. 22. ult. §. pen. ff. l. 21. C. eod.* Gail. 2. *observ. 77.* Cujac. 19. *observ. 34.* Rittershus. *in expos. Novell. p. 2. c. 4.* Fachin. 2. *controvers. 60.* Gœdd. *de contrah. stipul. c. 7. concl. 16. num. 298.*

D 21. th. 13. 9. Exceptioni Sc. Vellejani subjicitur Compensatio, quæ est *l* debiti & crediti inter se contributio, *l. 1. ff. de compensat.* à qua differt confusio, quæ propriè accidit, cum vel debitor creditori, vel creditor debitori functionibus. *cedit l. 50. l. 71. ff. de fidejuss. l. 93. l. 95. §. 2. ff. de solut.* Zanger. *de except. p. n. ib. th. 30. 3. c. 8. n. 9.* item Retentio, quæ est *m* tam specierum quàm rerum fungibilium, ob id, quod nobis debetur, solvendum *l. 26. §. 4. ff. de condict. indeb. l. 31. & 19. §. ff. de dot. præleg. Bern. Schotan. in exam. jurid. p. 413.*

ib. th. 22. & 14. 9. Compensare possunt omnes, *n* quibus *ii*, à quibus conveniuntur, vicissim aliquid debent, licet juraverint *o* se soluturos. Fachin. 1. *con-*

100. 7. Covarr. in c. quamvis p. 1. §. 4. num. 8. de pact. in 6. Treutl. vol. 1. Dn. STRUV. d. 25. th. 11. lit. A. sive debitores illi sint privati, sive etiam civitas l. 3. & ibi Donel. C. de compensat. aut fiscus l. ult. ff. de compens. l. 46. §. 5. ff. de jur. fisci, quibusdam tamen casibus a exceptis de quibus vid. l. 1. d. l. 3. a ib. th. 23. l. 7. l. pen. C. de compensat. Pacium in synopsis. Cod. d. 1. n. 10.

10. Procurator in rem suam b seu cessionarius & compensationem b ib. th. 25. debiti cessi rectè objicit l. 18. ff. de compensat. & illam, quæ cedenti opponi poterat, meritò patitur argum. l. 1. ff. eod. Johan. à Sande tr. de cess. act. c. 12. n. 12. Coheredis verò debitor illud, c quod alter heredum ipsi debet l. c ib. th. 24.

16. pr. l. 18. §. 1. ff. de compensat. l. 9. C. eod. item correi d debitor id, quod & 25. n. 4. à correo vicissim ipsi debetur (nisi socii sint,) compensare neutiquam pos- d ib. th. 25. sunt arg. d. l. 16. pr. l. 18. §. 1. ff. l. 9. C. de compensat. Sebast. Med. tr. de com- num. 2. pensat. p. 2. q. 6. Mastert. tr. eod. qu. 10. Zanger. d. tr. c. 8. num. 47. & 64. e thes. 15. & seqq.

11. Compensari potest debitum, quodcunque, e certum tamen & f ib. th. 16. verum, (licet naturale f saltem l. 6. ff. de compens.) item purum g l. 4. C. g ib. th. 21. eod. arg. §. 4. Inst. de V. O. l. 7. & ibi Dd. ff. de compensat. & denique liqui- b ib. th. 20. dum h §. 30. Inst. de act. l. fin. §. 1. C. de compensat. quod postremum vel ex confessione partis, vel ex genere quæstionis, vel ex probandi celeritate tale æstimatur. Donel. ad d. l. fin. C. d. 1. Zang. d. c. 8. num. 44. & seqq. Ex delicto etiam i quod debetur pecuniariè, compensari potest l. 10. §. 2. ff. i ib. th. 15. d. 1. ipsa verò delicta propriè non compensantur. arg. l. 1. ff. eod. n. 2.

12. Habet quoque locum compensatio in quavis actione d. l. fin. C. de compensat. d. §. 30. Inst. de act. modò quantitas k seu res fungibilis utrin- k ib. th. 17. que debeatur l. 4. C. eod. Sichard. l. 14. C. d. 1. n. 3. Aliàs enim speciei ad spe- ciem, l vel speciei ad quantitatem, & contra nulla admittitur compensatio l. l ib. th. 18. 2. §. 1. l. 6. ff. de R. C. l. 18. pr. ff. de pign. act. l. 5. pr. ff. de impens. in res dor. fact. l. 6. C. de R. V. l. 4. C. de compens. Tyndar. d. tr. art. 3. num. 3. Sebast. Med. d. tr. quæst. 1. p. 3. Frantz. in comm. ad d. 1. n. 19. Pachin. 11. contr. 7. Excipitur tamen actio depositi m d. l. ult. C. d. 1. §. 30. Inst. de act. actio m th. 23. n. 3. momenti d. l. fin. §. ult. eod. Mastert. d. tr. qu. 23. item commodati n l. fin. n D. 19. th. C. de commod. Bronchorst. cent. 2. aff. 42. Hillig. ad Don. 16. c. 15. lit. X. 12.

13. Compensatio ipso quidem jure o fieri dicitur d. §. 30. Inst. de act. o D. 12. th. l. 4. ff. l. 4. & d. l. fin. §. 1. C. de compensat. alleganda tamen est in iudicio, 26. cum facti sit, & iudex eam aliàs divinare non possit. gloss. ad d. §. 30. verb. ipso jure & ibi Zas. num. 7. Tyndar. d. tr. num. 60. Perez. in Cod. d. 1. n. 3. & 4. opponi p autem potest quovis tempore iudicii, etiam in ipso momen- p ib. th. 28.



DN. STRUV. to executionis l. 2. ff. d. t. Sebast. Med. d. tr. p. 2. quest. 31. num. 14. Mastert. d. tr. qu. 27.

a ib. th. 27. 14. Effectus a compensationis qui sit, ex dictis fermè liquet, nempe quod solutionis vicem obtineat, idq; statim ab initio, **b** quo vicissim deberi coepit. Bart. in d. l. 4. C. d. t. Guid. Pap. decis. 171. pro competenti scil. quantitate d. l. 4. C. de compensat. l. 25. ff. rem rat. hab. Zanger. d. c. 8. n. 133. **c** **ib. th. 29.** Quod procedit, si compensatio à iudice fuerit admessa, **c** fin minùs, quod altioris fortè sit indaginis, salva tamen debitori manet debiti petitio l. 7. §. 1. ff. de Compens. Duar. ad d. t. c. 2. p. 996. col. 1. Perez. in Cod. d. t. n. ult.

TIT. III.

Depositi
vel contra

d ib. th. 33.

e ib. th. 35.

f ib. th. 36.

in princ. &

num. 2.

g ib. th. 45.

h ib. th. 46.

i ib. th. 47.

k ib. th. 48.

& seqq. ad

fin.

15. Superest in libro 16. Pand. ex contractibus realibus Depositi, quod **d** contrahitur, quando quis rem suam, vel etiam alienam l. 31. §. 1. ff. depos. sive mobilem, sive immobilem, **e** l. 3. in fin. ff. de acquir. possess. l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 72. ff. de V. O. gratis f l. 1. §. 8. & 9. ff. depos. custodiendam l. 1. ff. depos. alteri tradit, ut eandem sibi pro lubitu reposcenti l. 1. §. 22. & 45. ff. eod. in specie reddat l. 2. ff. de R. C.

16. Dividitur in depositum rei non litigiosæ, **g** quod propriè dicitur depositum, & nomen generis retinet: & litigiosæ, **h** quod in specie dicitur Sequestrum l. 5. §. 1. l. 6. l. 7. pr. l. 12. §. 2. l. 17. ff. d. t. l. 110. & **i** **ibi** Gœdd. de V. S. t. t. extr. de sequestr. possess. & fruct. & clem. un. tit. cod. quod rursus est vel Voluntarium **i**, vel Necessarium **k**: illud, quando ex pacto & conventionem partium, l. 39. ff. de solut. l. 5. C. de posis. hoc, cum partibus etiam invitis iudicis autoritate res sequestratur. l. 6. ff. de offic. pres. l. 7. §. ult. qui satisfac. cog. Ordin. Cam. Imper. p. 2. tit. 21. §. **Ob** **auch** im verührten Fall Gail, de arrest. cap. 12. & 1. observ. 148. n. 9. Coler. de process. execut. p. 1. c. 2. num. 56.

17. Ad depositum præter Rem, etiam consensus requiritur §. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. ad quem eliciendum aut colligendum verbis opus est accommodatis. Hinc cum eo, qui scit ac patitur rem in domum suam inferri, si non ei res commendetur, depositum non contrahitur. Gometz. tom. 2. var. resol. c. 7. n. 2. Schneidewin. ad §. 3. Inst. d. t. quod ratione officii aliter obtinet in nautis, l. camponibus & stabulariis l. 7. §. 1. ff. naut. camp. stabul. Arum. exerc. Instit. 12. th. 15. adde Mozz. de depos. c. quom. annull. depos. num. 9. & 10.

D. S. thes.
108.

D. 21. th.

36. num. 1.

ib. th. 53.

num. 2.

18. Depositarius rem custodiae suæ commendatam non possidet, **m** sed naturaliter saltem tenet l. 9. in fin. ff. de R. V. An tamen sequester possideat, **n** non caret dubio: Nos regulariter nec ad sequestrem, sive sequestratio fuerit voluntaria, sive necessaria, prout distinguit Gail.

11 act.

tract. de arrest. c. 12. possessionem transire statuimus l. 39. ff. de acquir. DN. STRUV. possess. nisi expressè fuerit actum, ut possessio interim penes neutrum litigantium esset, sed sequester possideret l. 17. §. 1. ff. de positi. Duaren. in comm. ad d. t. c. 1. & lib. 3. de benef. c. 10.

19. Res deposita deponenti, quocumque tempore a illam repositat, a ib. th. 36. est restituenda l. 1. §. 22. ff. d. t. etiamsi de certo b tempore convenerit l. pr. 1. §. 45. & seqq. ff. eod. depositum enim saltem deponentis, non verò b ib. num. 31. depositarii gratia, contrahitur: cum igitur nullum ei jus acquiritur, neque ejus intersit rem depositam diutius retinere, nihil obstat, quò minus deponens voluntatem suam mutare possit. Duar. d. com. c. 3. Wesemb. in parat. ff. h. t. num. 7.

20. Quia depositum deponentis tantum gratiâ contrahitur l. 5. §. 2. ff. commod. depositarius regulariter de dolo c saltem §. 3. inst. quib. mod. re c ib. th. 37. contrah. oblig. l. 23. ff. de R. J. & lata culpa tenetur l. 32. ff. de pos. l. 1. C. eod. potest tamen & pacto culpam levem, imò levissimam & casum fortuitum suscipere l. 1. §. 35. ff. d. t. l. 1. C. eod. l. 5. §. 2. ff. commod. sicut & de hoc tenetur, si moram in restituendo fecerit l. 12. §. ult. ff. de pos. vel si quantitas deposita sit, ut tantundem reddatur l. 2. ff. de R. C. Quod si etiam operam d ultrò offerat l. 1. §. 35. ff. de pos. aut pro custodia pecuniam accipiat l. 5. §. 2. ff. comm. culpam levem, non etiam casum prestare debet. Regulariter verò & casibus illis exceptis, culpa præcedens casum fortuitum illi non nocet l. 1. §. 35. ff. d. t. l. 14. §. 1. eod. Vaud. lib. 2. var. quest. c. 33. Bocer. cl. 2. d. 10. th. 21. d ibid.

21. Actio depositi directa e datur Domino f adversus depositarium, e ib. th. 38. g ut rem restituat h incorruptam cum fructibus & omni causa l. 1. §. 16. f ib. th. 39. & 24. ff. de pos. l. pen. C. eod. quod si per contumaciam recusarit, vel res g ib. th. 40. ob dolum ac latam ejus culpam perierit, ut restitui nequeat, jusjurandum i b ib. th. 41. in litem Domino deferri potest, ut ejus arbitrio rei fiat aestimatio l. 1. §. 26. i ibid. ff. de pos. l. 2. §. 1. l. 8. ff. de in lit. jurand. datur etiam hæc actio adversus depositarii heredem in k solidum l. 7. §. 1. ff. de pos. k ib. th. 40.

22. Competit Actio depositi regulariter quidem in simplum: in deposito autem necessario ac miserabili, ubi tumultus, incendii, ruinae, naufragii causa aliquid est depositum, lis inficiando crescit, & edictò Pratoris in duplum m est extensa §. ult. Inst. de oblig. qua ex qu. contr. nasc. §. 17. m D. 48. th. Inst. de act. l. 1. §. 4. ff. de pos. Sive autem in simplum, sive in duplum de 33. 34. & 51. tur instiandè condemnatum ob dolum v infamia sequitur l. 1. l. 6. §. pen. n D. 21. th. ff. d. his qui not. in fam. l. 10. Cod. de pos. Carpzov. jurisprud. for. p. 4. cap. 38. 45. d. 10.

23. Actio

- DN. STRUV.** 23. Actio depositi contraria a datur depositario adversus deponen-
ib. tb. 43. tem, ut illius indemnitati consulatur, si vel impensas necessarias in rem
§ 44. depositam fecit *l. 61. §. 1. ff. de furt. l. 23. ff. de pos.* vel damnum occasione
 rei depositæ per dolum & culpam deponentis passus est, *l. 61. §. 5. ff. de*
furt. in quâ tamen nec juramentum in litem locum habet l. 5. pr. ff. de pos.
neque damnatum infamia sequitur. l. 6. §. ult. ff. de his qui not. infam. Cæ-
ib. tb. 44. terum, an propter impensas in rem depositam factas retentionis jure b
 uti possit depositarius, donec illæ refundantur, quæstionis est: Et nos uti
 posse, si liquidæ sint impensæ, censemus *arg. l. 18. §. fin. ff. commod. l. 20.*
ff. de aqu. possess. Salic. in l. si quis C. de poss. n. 9. Ludov. Vital. 2. var. lect.
c. 17. Bachov. ad vol. 1. Treutl. d. 26. tb. 5. lit. C.
- IB. XVII.** 24. Mandatum (de quo, uti & de reliquis e contractibus consen-
IT. I. sualibus ordine nunc agendum) est d contractus consensu initus *l. 1. pr.*
 Mandati *ff. mandat. l. 2. ff. de O. & A. de negotio quodam alterius e gratis f. l. 1. §.*
 el contra. *ult. Instit. eod. suscipiendo & exequendo.*
- D. 22. tb.** 25. Ratione consensus, quo initur mandatum, est vel expressum g
1. § 2. vel tacitum: illud expressum, hoc præsumptum consensum habet, v. c. si
ibid. tb. 3. quis pro alio ipso præsentem fide jusserit *l. 6. §. 2. l. 18. § 53. ff. mandat.*
ib. tb. 8. n. 2. Si quis verò Epistolam sibi missam accepit, eique non contradixit, ex man-
ib. num. 1. dato regulariter non obligatur. Bachov. ad Treutl. *vol. 1. d. 27. tb. 5. lit.*
ibid. tb. 7. *ff. Frantzk. in comment. ad tit. ff. mandat. n. 14.*
- ibid. tb. 8.** 26. Solius mandatarii causa h mandatum, utpote consilium potiùs
in fin. quàm mandatum, non est obligatorium §. 6. *Instit. de mandat. l. 6. §. 5. ff. eod.*
 nisi fraus adhibita *l. 47. ff. de R. J. l. 8. ff. de dolo.* vel cum vi quâdam impel-
ibid. lendi ad certum negotium, aut certam personam, i cui abas non crediturus
 fuisset mandatarius, directum fuerit. *d. §. 6. Inst. mandat. d. l. 6. §. 5. eod.*
- k tb. 5.** 27. Mandari debet res honesta k & licita: rei turpis enim manda-
 tum respectu actionis nullum est §. 7. *Inst. d. r. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. ff. eod.*
ibid. Quod si tamen exinde alicui fuerit nocitum, uterque ad resarciendum l
 ei damnum & poenam obligatur *d. §. 7. Inst. de mand. l. 7. §. fin. ff. de*
jurisd. l. 1. §. 1. ff. de eo per quem factum est. l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 15.
§. 1. ff. ad L. Cornel. de sicar. Arum. exerc. 15. tb. 8.
- ib. tb. 9.** 28. Fines mandati m diligenter sunt custodiendi *l. 5. pr. l. 33. ff.*
§ 12. in fin. *mand. §. 8. Inst. eod. si excessit eos mandatarius, usque ad limites mandati*
 saltem actionem habet *l. 3. §. 2. l. 4. ff. §. 8. Inst. eod. ratione excessus seu*
ibid. residui verò; nec negotiorum gestorum actio n ipsi competit *l. 31. §. 4.*
ff. de

ff. de negot. gest. l. 5. fin. C. cod. l. 40. mandat. Bachov. ad Treutl. d. t. 27. th. DN. STRUV. 7. lit. H. Adde tamen Frantz. comm. ad d. t. n. 80.

29. Oritur ex hoc contractu Actio mandati itidem directa a & contraria. Illa datur mandanti contra mandatarium, ut mandatum exequatur d. l. 22. §. ult. l. 8. §. 6. ff. mandat. & si quid ex causa b mandati ad ipsum pervenerit, illud restituat l. 10. §. 2. & 8. l. 20. pr. ff. eod. in quam præter dolum c non lata solum ac levis, sed etiam levissima culpa venit l. 13. l. 21. C. mandat. Delrio in l. 23. ff. d. R. J. c. 7. Mozz. de natur. mut. num. 20. Gail. 1. observ. 45. Köppen. lib. 2. observ. 59. n. 2.

30. Contraria d competit vicissim mandatario adversus mandantem tum ad recuperandum id, quod ex causa mandati ipsi abest, v. c. impensas l. 10. §. 9. ff. l. 2. l. 4. C. d. t. unà cum usuris l. 1. C. eod. etiamsi casu aliquo impeditus mandatum implere non potuerit l. 56. §. fin. ff. l. 4. C. eod. tum ad omne, quod præterea illius interest, ne in damno moretur l. 15. l. 26. §. 6. & 7. ff. eod. Nonnunquam & honorarium, e pacto scil. promissum, eadem peti potest l. 6. pr. ff. d. t. de damno verò, quod mandatario negotium exequenti per casum fortuitum f accidit. regulariter ei mandans non tenetur. l. 26. §. 6. ff. eod.

31. Societas (Conventionalis scil. ac illi, in quam casu incidimus, contradistincta) est g contractus consensualis h. §. un. inst. de obligat. ex consensu l. 2. ff. de O. & A. de rebus i (quibuscunque, quarum est commercium l. 63. in fin. ff. pro soc.) ac operis §. 2. Inst. eod. l. 5. §. 1. ff. l. 1. C. eod. inter aliquos lucri k causa l. 7. l. 8. ff. d. t. communicandis l. 24. l. 29. pr. l. 52. §. 3. ff. eod. Dividitur l in generalem, de qua vid. l. 3. §. 1. l. 65. §. 3. l. 73. l. 52. §. 16. ff. d. t. l. 7. & seq. l. 9. & 10. l. 13. ff. eod. & specialem l. 52. ff. eod. l. 39. §. 3. ff. fam. h. erisc. pr. Inst. de societ. l. 71. pr. ff. eod.

32. Quando specialiter universorum m bonorum societas coita est, (quod & tacite fieri posse putamus l. 4. ff. d. t. Fachin. 12. controvers. 14. Hæ non disp. pand. 17. th. 1. Niel. d. 25. th. 7. lit. A.) tunc & id, quod unus ex sociis filia in dotem, n vel filio in subsidium studiorum dedit, societati est imputandum. arg. l. 73. §. 1. h. t. l. 39. §. 3. ff. fam. erisc. Donel. 13. com. c. 16. & ibi Hill. H. lit. Menoch. de A. J. Q. cas. 127. Roll. à Vall. consil. 91. Treutler. vol. 1. d. 27. th. 8. H. lit. & ibi Bachov.

33. Cum nonnunquam accidat, ut alter sociorum solus pecuniam conferat, alter verò operam pro pecuniâ præstet l. 1. C. d. t. §. 2. Institut. eod. quaeritur, an amissa fortè pecuniæ damnum etiam ad hunc, qui operam contulit, pertineat? o Et si pecunia non ex conventionem facta

fit

ibid. th. 11.

b th. 19. n. 1.

c ib. num. 2.

d ib. th. 12.

& 13.

e ib. th. 8. n. 1.

f ibid. th. 12.

add. D. 19.

th. 43.

quomodo

salvatur

mandatum

vid. th. 14.

& seqq.

TIT. II.

Pro socio.

g D. 21. th. 19.

h ib. th. 22.

i ibid. th. 21.

& 23.

k ibid. th. 25.

& 29.

l ibid. th. 21.

m ib. th. 26.

n thes. 27.

o ib. th. 34.

DN. STRUV. fit communis, illam ei soli, qui contulit, veluti domino perire statuimus, Sich. & Dd. *communiter in d. l. C. d. t. Gail. 2. observat. 24. Arum. exerc. 15. th. 3.*

a ibid. th. 24. num. 3. 34. Porro is qui operam confert, non propriis, a sed communibus impensis eam præstare debet *l. 67. §. 2. ff. d. t. Schneidewin. ad §. 2. Instit. eod. num. 7.* exque non ex sorte principali sociorum, sed ex lucro, si quod factum erit, sunt desumendæ. Gothofr. *in addit. ad Schneidew. d. l.*

b. ibid. th. 30. 35. Lucri & damni partes b inter socios, si collatio sortis fuerit æqualis, æquales esse oportet §. 1. *Instit. d. t. aiiàs proportionem collatæ sortis & operæ, lucri quoque ratio est ineunda §. 2. Inst. l. 6. in fin. l. 83. in fin. ff. eod.* Pacto tamen, in collatione æquali, ob certam rationem conveniri potest, ut inæquales c fiant partes d. §. *Instit. eod.* modò non nimia inducatur

c ibid. th. 32. d. ibid. th. 30. e ibid. th. 40 inæqualitas, quæ leoninam d sapit societatem, *l. 29. §. 2. ff. eod.*

e seqq. f. th. 41. n. 1. 36. Modos, quibus finitur e societas, recenset Imper. §. 4. & seqq. *Instit. d. t.* & eleganter dispescit Bachov. *in not. ad parat. ff. Wesemb. h. s. n. 11.* Inter illos imprimis mors f est unius sociorum, quia contrahens societatem certam sibi personam eligit, cujus fidem, industriam, res & facultates sequatur. §. 5. *Inst. d. t. l. 4. §. 1. l. 25. l. 52. §. 9. & passim. ff. eod.* non igitur transit g ad hæredes, nisi sit societas vectigalium & aliarum rerum publicarum, *l. 59. pr. l. 63. §. 8. eod.*

b th. 37. 38. 42. 43. & 44. 37. Ex hoc contractu societatis oritur Actio h pro socio t. t. ff. & C. *pro soc.* quæ est utrinque directa §. 2. *instit. de pæn. remer. litigant. cum omnium sociorum officium & obligatio sit eadem Donell. lib. 13. comm. c. 17. Mozz. que act. detur ex societ. n. 1.* Dividitur in generalem & specialem: illa ratione totius administrationis & reddendarum rationum *l. 38. ff. pro soc.* non nisi finita societate locum habet *l. 65. pr. d. t. l. 6. C. eod.* hæc ob certum aliquem & specialem articulum societatem concernentem, durante adhuc societate, institui potest *d. l. 65. §. pen. ff. eod. Mozz. d. l. num. 2.*

i ib. th. 42. n. 2. & 37. in fin. 38. Socius socio ad præstandam levem culpam i obligatur, quia societas utriusque causâ contrahitur *l. 5. §. 2. ff. commod. §. fin. instit. de societ. l. 72. ff. pro soc.* & singuli diligentiam ac industriam, quantam suis rebus adhibent promittere censentur. Etsi verò socius ob negligentiam suam ad omne id, quod interest, socio teneatur *l. 43. ff. d. t.* tamen regulariter in id tantum, quod rei judicatæ tempore facere potest, sive sit socius omnium bonorum, sive certæ alicujus rei, *l. 63. pr. & §. 6. ff. eod. l. 16. ff. de re judic. condemnatur. Bronchorst.*

2. aff. 51.

5) 0 (50

OBSERVATIONES GROTIANÆ
PARALLELÆ.

Ad Dissertationem X.

RESPONDENTE

NICOLAO VON SCHWANZERN/
Nob. Svec.

Ad tit. 1. de SCio Vellejano.

Juris Naturæ & Gentium nullum obstat impedimentum, quò minus fœminæ fidejubere possint; quia actus alienationis est. Cum, sicut nihil tam naturale est, quàm voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi §. 40. Inst. de Rer. Divis. eodem modo dici possit, nihil esse tam congruum fidei humane, quam quæ inter aliquos placuerunt servare. Grot. L. 2. c. 11. sh. 5. n. 1. junct. sh. 1. n. 4. Juris vero Civilis fundamentum, quo effectus obligationis naturalis tollitur, ratione externâ nititur: ad præscindendas nimirum litium occasiones. Grot. d. sh. 5. n. 4. in fin. Quam rationem quoque in aliis Juris Naturalis per Jus Civile sublatis effectibus agnoscit Puffend. L. 3. c. 5. & 6. Conf. Kulpis. Exercit. 6. ad d. l. p. 64. Ziegl. p. 341. Interim Juris Naturalis decisio inter fœminas illustres obtinet, quas rectè fidejubere posse probat Joh. Coras. L. 2. Miscell. c. 27. n. 7. & 8. Berlich. P. 2. Concl. 17. n. 79. Pro Jure Civili accedit & alia ratio: nempe apud fœminas esse probabilem Juris Civilis ignorantiam; quam excusabilem esse admittit quoque Grotius L. 3. cap. 11. sh. 4. n. 5. Quæ ignorantia si plenè tollatur, cessabunt quoque privilegia Senatus C. juxta Autorem sh. 6. & 7.

Ad Tit. de Compensat. §. 8.] Compensationem inter justas naturaliter tollendi obligationem causas refert Grotius L. 3. c. 10. sh. 6. n. 1. Expletione autè juris fit alienatio, quoties id quod meum nondum est, sed mihi dari debet, aut loco rei meæ aut mihi debitæ, cum eam ipsam consequi non possum aliud tantundem valens accipio ab eo, qui rem meam detinet, vel mihi debet. Nam justitia Expletrix; quoties ad idem non potest perungere, fertur ad tantundem, quod est morali estimatione idem. L. 2. c. 7. sh. 2. n. 1. Puffendorf. L. 5. c. 10. §. 5. Accedit commodum Compensationis, quod Puffendorf. ita exprimit alleg. 1. Cum enim in primis in rebus fungibilibus tantundem sit idem, & verò, ubi mutuum est debitum, mihi statim tantundem
est

esset reddendum, atque ipse accipi; igitur ad redigendas in compendium inutiles solutiones commodissimum est, utrumque suum retinendo solutione defungi. Præsertim cum omnem fere exactionem aliqua molestia comitetur; & valde imprudens sit, per solutionem non necessariam id efficere, ut alter in suo adversum me debito eò facilius possit tergiversari. *vid. l. 2. l. 3. D. h. t.*

Ad §. 9. & 10.] Rectè id quoque Grotius asserit; nempe inter easdem tantùm personas compensationem admitti, ne jus tertii lædatur. *L. 3. c. 20. th. 19. n. 3.* cum quo consentit Puffendof. *d. l.* & hinc si à tertio quopiam mihi quid debetur, id alteri invito velut in solutum obtrudere non possum, nisi fortè talis inter quosdam sit societas ut ipsorum obligationes & jura invicem sint communia. Nec etiam, si quis alieno nomine agat, ut Procurator, nisi sit in rem suam. *Conf. fufius all. loc. Puf.* An vero solutio juramento promissa etiam tolli possit ut vult Autor, quæritur. *Aff. cum juramentum sequatur naturam obligationis. Gr. 3. 19. 15.*

Ad §. 11.] Debitum tale certum esse oportere vult quoque Grotius *all. L. 2. c. 7. th. 2. n. 2.* Quanquam liquidum non necessario requirat. Et hinc si per judicem, juris explementum obtineri nequeat, puta quia deficit probatio tunc ubi judicia cessant, posse quem propriâ autoritate rem alterius per compensationem sibi adjudicare. Ast æquior est Actorum opinio quam ex *Lesio L. 2. de J. & J. Bœcler. deducit in not. ad d. l. Gr.* Cui addendum Henniges judicium *p. 500. verb. nescio profecto, an non Autor sibi alio loco admodum sit adversus, quando in c. 23. h. libr. 2. §. 11. scribit: Ab eo, qui justam causam habere se scit, sed documenta non habet sufficientia, quibus possessorem de injustitia suæ possessionis convincat, bellum licet non sumi, quia non habet jus cogendi alterum, ut de possessione decedat.* Nam si in casu deficientium probationum bellum ad recuperandam ab injusto possessore rem licet non geritur, multò minùs res aliena domino eripienda erit, ut loco debita sit, si debitam probare planè nequeat, cum majus jus aliquis in rem suam ab alio injustè detentam habeat, quam in alienam, quam sibi vult acquirere vice debiti, quod tamen ad liquidum non potest deducere. In fine verò dum Autor in delictis non admittit compensationem, *id inter summas potestates non obtinet, inter quas ad pacem ventri vix solet injuriæ confessione; & hinc ea sumenda est in pactis interpretatio, quæ partes quoad belli justitiam quam maxime æquet. L. 3. c. 20. th. 11. n. 2.*

Ad

Ad §. 12.] Dum Autor in rebus fungibilibus & in genere tantum compensationem admittit, rejectis speciebus quæ compensationem *jure civili* non admittunt. Quær. verò de *Jure Naturali* an recte? id affirmare quoque videtur Grotius, dum *tantundem* valens in compensationem admittit. all. sæpe *ih. 2. n. 1.* quam particulam *tantundem* ita explicat Gronov. in *Not. Gros. p. 276.* verb. *Compensationem postulat, que commodâ interpretatione pro ipsâ re habetur, cujus vicem præstat.* Jam vero ejus conditionis tantum sunt res fungibiles & imprimis pecunia Grot. *L. 2. c. 10. ih. 2.* cum quo convenit Puffendorf, qui nummum subire posse vicem alterius nummi ejusdem qualitatis & quantitatis rectè docet. *L. 4. c. 1. ih. 15.* coll. cum all. *L. 5. c. 10. §. 5.* Conf. quæ suprâ de rebus fungibilibus dicta. ad *Diff. 8. ih. 9.* Non tamen planè sunt contraria quæ Grotius habet *L. 3. c. 19. ih. 15.* dum, *id quod penes nos est sive corporale sit, sive in corporale retinere nos posse* asserit. Tunc enim; interprete Puffendorffio, non tam tollitur, quam suspenditur obligatio per retentionem, quâ quod alteri debebam exhibere, penes me retineo quoad alter, quod prius debebat præstiterit. *d. l. ih. 6. in med.* cui quoque jungenda Ziegleri ad. *d. l. Grot. interpretatio p. 592.* nempe intelligendam Compensationem non rerum sed actuum, ut quia ille non præstat, quod nostrum est, nec nos eidem præstare debemus, quod promisimus.

Ad §. 13. & 14.] Hunc effectum Compensationis vid. *supra in fin. ad ih. 8.*

Ad §. 15. & 17.] Quæ autor habet juri Naturæ adversa non sunt, ideoque & à Grotio definitur *depositum*, quod sit *prestatio operarum in re depositâ.* *L. 2. c. 12. ih. 2.* Interim confundere hic videtur Grotius *depositum* cum *mandato*, dum illud istius speciem quandam appellat. *ibidem.* cum tamen revera differant (1.) *naturâ ipsâ*, dum respectu depositarii *depositum* nudam ipsius passionem involvat, respectu mandatarii actionem in expediendo negotio, quamvis non negetur, depositi contractum *quid actionis* recipere aliquando posse ex conventionione (2.) *fine* qui depositi est custodia, mandati, ut quid geratur (3.) *objecto* quod depositi est res ipsa custodienda, mandati negotium quodcunque. Gædd. *de V. S. ad L. 110. n. 3.* Rectè tamen id addit D. Simon. juxta effectus *juris Civilis* differre inter se, ast *jure naturali* dari aliquam ut multorum contractum, ita & horum duorum mixturam. *Not. Gros. p. 318.* Quo sensu etiam intelligendas esse credo *l. Lucius 24. l. Publica 26. pr. ff. h. i. l. 126. ff. de U. S. l. 6. C. Depositum*

in quibus depositum *Commendati* nomine gaudet. Strauch. *Diff.* 13. *aph.* 14. Aliter sentiunt Puffendorf. *L.* 5. *c.* 2. §. 10. Struv. *Exercit.* 24. *th.* 8. Godofred. *ad L.* 31. *ff.* *Locati.*

Ad §. 16. & 18.] Depositi voluntarii & involuntarii dum hic mentio fit, illius explicatio ex antecedentibus patebit; istius legitimatio ex jure domini supereminens dependet. Grot. *L.* 3. *c.* 20. *th.* 7. non enim nisi ex justissimis causis sequestrum à Judice decerni potest, quas refert Struv. *Diff.* 21. *th.* 50. inter quas non minima est inter potentiores *Merus armorum.* per Ordin. Cameral. *P.* 2. *Tit.* 21. §. *ult.* Exemplum Sequestrationis in Ducatibus Juliacensi, Mantuano, aliisque, ab Imperatoribus sæpe attentata.

Ad §. 19.] Deponenti tam bonæ fidei quam malæ repetenti restituendum esse depositum cum JCro *in l. bona* 31. *ff.* *Depositi* statuit quoque Grotius, *L.* 2. *a.* 10. *th.* 1. *n.* 4. rationibus iisdem convictus quibus JCtus *in d. l.* (in quâ obiter verbû *quo facto* corrigit legendumq; esse vult. *quoi*) Lim. (1.) nisi justior repetitio, qualis est Domini, M. fidei possessionem excludat. injustum enim est Rem Domino cognito non reddere. *ibidem.* & *c.* 16. *th.* 26. *n.* 2. (2.) nec domino ipsi restituenda res, si forte metuantur damnum irreparabile exinde consequens. Ambrosius apud Puffend. *p.* 640. Grot. *d. l.* An vero ante tempus depositum exigere potest, specialem casum exceptum vid. ex Quintiliano *Declam.* 245. apud Puffendorfi-um. *L.* 5. *c.* 4. *th.* 7.

Ad §. 20.] Dolum & culpam ad restitutionem rei alienæ sufficere agnoscit quoque Grotius *L.* 3. *c.* 10. *th.* 5. *n.* 2. & *c.* 17 *th.* 1. Consentiant JCri. Lauterbach. *ad Tit.* *Depositi* §. 2. *th.* 5. & Responsum Helmstad. JCtorum, quod Hahn. refert ad Wesenb. *h. t. n.* 14. cui tamen hoc in speciali casu jungendus iterum Puffendorf, qui ad latam culpam primò obligari depositarium dicit, at id quoque rectè addit, dum inquit. Enim vero cum regulariter in deposito aliquid amicitiae intercurrat; (nemo enim ferè deponit, nisi apud amicum, aut de cujus probitate benè judicat:) in universum judicaverim, in quovis deposito custodiendo adhibendam esse talem curam, qualem communiter diligentes homines circa proprias res solent adhibere. Imo & exactissima quandoque cura est adhibenda, non solum quando super ea expresse fuit conventum, sed & ubi rei depositæ conditio id requirit; puta, si sit pretiosissima, aut si ex ea omnes alicujus fortunæ dependeant. Add. *Ambrosius Offic.* 1. 2. *c.* 29. Ista tamen diligencia

līgētia non in eo consistit, ut quis noctu diuque eidem rei custos assideat; sed ut eam loco, quem habet, munitissimo recondat, & ubi minimè corrumpti potest. *Pactio* vero suscipi posse levissimam culpam & casum, dubio caret, cum quilibet juri suo renunciare possit. *Mora* æquiparatur culpæ. si *quantitas deposita, ut tantundem restitatur*, id naturam mutui sapit. *opera spontè oblata* præsumtionem summx diligentix inducit. *Accepta pecunia* pro custodiâ ex deposito facit quasi locatum, quale quid admittit Grotius L. 2. c. 12. *ib.* 10. Cur vero in *deposito* minor quam in *mandato* diligentia sufficiat, idem vid. Puffendorf. *all.* 1.

Ad §. 21. & 22.] Actio depositi directâ ex jure depositi dependet, quod deductum jam *Superius*. Cur vero depositi miserabilis actio ad duplum tendat, extra rationes juridicas, quas vid. *in l. 1. §. 1. 2. 4. ff. Depositi*, hanc addit Puffend. turpius nempe esse flagitium, depositum negare aut intercipere quatu furtum facere, cum heic solum jus dominii & justitia, illic etiam amicitia & humanitas violetur. *d. c. 4. ib. ult. circa fin.*

Ad §. 23.] Sumtus in rem depositâ factos ideò rectè repetit depositarius, quia, dum rem deponentis perituram servavit, vel ejus utilitatē auxit, in hoc deponens factus locupletior. Grot. L. 2. c. 10. *ib.* 9. n. 2. Puffend. *all.* 1.

Ad Tit. Mandati: §. 24.] Differentia istius contractus *Mandati* à *Locato conducto* in particulâ, *gratis*, sita est: ratio ex eo dependet quod inter *contractus beneficos*, quo quis *gratis* alterius negotia eodem requirente & committente suscipit, non sine fundamento referatur à Grotio L. 2. c. 12. *ib.* 2. & Puff. L. 5. c. 4. *ib.* 1. Et hinc Contractus hic à Franzkio definitus, quod sit *Commissio ab amico voluntariè suscepta. ad tit. ff. Mandati n. 5.*

Ad §. 25.] Consensum tacitum æque operari ac expressum indubium est. *Consensus enim qualiscunque indicatus & acceptum vim habet obligandi.* Grot. L. 3. c. 24. *ib.* 1.

Ad §. 26.] Ratio cessantis obligationis hæc est, quod is cui datur consilium, illud ipsum æstimare & probare potest. Puffend. L. 1. c. 6. *ib.* 1. Limitationes quoque, quas Autor habet, agnoscunt Grotius, L. 3. c. 10. *ib.* 4. & Puffend. L. 3. c. 1. *ib.* 4.

Ad §. 27.] Regulariter in nullam obligationem venire potest res moraliter illicita, ut pote quæ extra potestatem nostram posita est. Grot. L. 2. c. 16. *ib.* 7. Interim utrumq; & Mandatorem & Mandatariū ad resarciendum damnū teneri inde concluditur, quod Mandator hic sit *causa damni* & ad totum damnū vel partē damni momentum attulit, ipse Patrator verò est *instrumen-*

strumentum activum alienæ malitiæ. Conf. fufius Grot. L. 2. c. 17. *ib.* 6. & *seqq.* Puffendorf. L. 3. c. 1. *ib.* 4. 5. Rectè tamen distingvitur, hîc, an is qui intulit damnum, illaturus fuisset certo damnum, etiamsi à Mandante non impulsus fuisset. an vero ex impulsu vel mandato intulit? De *posteriori* casu res indubia est Mandatorem cum Mandatario æquali pœna affici. De *priori* vero Grotii opinio à JCrîs recepta. Mandantem ab ordinaria pœna liberari. Anton. Matth. *de Crimin. proleg. c.* 1. §. 7. 8. 9. Carpzov. *Prax. Crimin. P.* 1. *qn.* 4. *n.* 29. Dissentit. Juli. Clar. *Pract. Crimin. L.* 5. §. *fin. qu.* 89. *n.* 1.

Ad §. 28.] Distingvendum, an mandatum præscriptum sit *sub speciali suâ formâ*, an vero *sub consideratione generaliore*. Illo casu fines mandati diligenter sunt custodiendi, hîc excedere eos quandoque licebit mandatario & implere per æquipollens Grot. L. 2. c. 16. *ib.* 21. Gail. L. 1. *de Pace Publ. c.* 4. *n.* 29. Rota Gen. *Decis.* 64. Mantica *Lucubrat. Vatican. L.* 7. *tit.* 15. *n.* 40. Ziegl. *in not. Grot. p.* 293. Simon. *in not. Gr. p.* 395.

Ad §. 29.] Obligatio ista Mandatarii ex lege præpositivis dependet. Grot. L. 2. c. 22. *ib.* 2. & 4. *n.* 1. & 3.

Ad §. 30.] ratio. Nam & in *contractibus beneficis* æqualitas spectanda, non quidem omnimoda ut in Commutatione, sed ex suppositione ejus quod agitur, *ne quis scilicet ex beneficio damnum sentiat*. Grot. L. 2. c. 12. *ib.* 13. Addendum egregium illud Senecæ. *Non sum*, inquit ille, *sam iniquus*, *ut nihil ei debeam qui cum mihi utilis esset, fuit & sibi. non enim exigo ut sine sui respectu mihi consulat: imo etiam opto, ut beneficium mihi datum vel magis danti profuit: dummodo is, qui dabat, duos inveniens dederit, & inter me seque dividerit: Licet id ipse ex majore parte possideat, si modo me in consortium admisit, si duos cogitavit, ingratus sum, non solum injustus, nisi gaudeo, hoc illi profuisse, quod proderat mihi: summæ malignitatis est, non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affect.* L. 6. *de Beneficiis c.* 13. Quâ ratione vero Mandatarius damnum casu acceptum repetat, vel non repetat JCrîtorum decisio occasione L. 26. §. 6. *ff. h. t. & l.* 61. §. 5. *ff. de furtis* hæc orta: nempe si damnum ex ipso negotio ortum, repeti tunc illud posse, secus si aliunde accidit. Id quod ad amussim Juris Naturalis examinat. Henniges *in Not. Grot. p.* 587. & *seqq.*

Ad Tit. Pro Socio: ad §. 31. 33. 34. 35.] Non de Politicâ Societate nobis sermo; utpote quæ præcipuum Politici studii objectum est. Sed de merè juridicâ, quateus specialem contractum constituit, hic agendum erit.

erit. Interim non deerit hic genuina quædam utramque comparandi ratio, quam à Grotio verso paululum ordine, mutuabimur. Nullam, inquit ille, *Communitatem sine jure conversari posse*, proleg. *ih.* 23. & hinc *Sicut cujusque Civitatis jura utilitatem suæ civitatis respiciunt, ita in societate nostra talia jura nata apparebunt, quæ utilitatem respicerent societatis ejusdem.* §. 17. Hujus itaque societatis jura à Jure Civili inventa, an Juri Naturæ respondeant, examinanda erunt. Definitio ipsa & divisio Societatis à Grotio Juri Naturæ conformis agnoscitur. *L. 2. c. 12. ih.* 24. Dum in Societate negotiatoriâ *ubi confertur pecunia cum pecunia*, si pecuniæ æquales sint, æquales etiam esse oportet partes in damno & lucro, si inæquales fuerint, partes quoque fient pro ratâ. *Ubi vero opera cum pecunia confertur*, tunc aut opera confertur cum solo pecuniæ usu, quo casu fors domino perit, & si salva est, Domino salva est; aut opera confertur cum ipso Domino pecuniæ, quo casu, qui operam impendit, particeps fit fortis. In primâ specie comparatur cum opera non fors, sed periculum amittendæ fortis & lucrum, quod probabiliter ex eâ sperari poterat. In alterâ operæ pretium habetur quasi sorti adjectum, & pro eo, quod valet in ipsa sorte partem habet, qui in eam operam præstat, *ibidem n. 1. & 2.* Covart. *Lib. 3. Var. Res. c. 2.* & Less. *L. 2. Tr. 2. c. 5. dub. 3.* Molina *de J. & J. Tr. 2. dis. p. 416. n. 4.* Menoch. *1. ih. L. 2. Cas. 125. n. 13.* An vero secunda species æquitati naturali conveniens sit merito dubitatur cum Domino Stryckio *Causel. Contract. Sect. 2. c. 10. ih. 6. verb. Uti enim opera Tua fuit otiosa, ita & mea pecunia, uterque enim nostrum lucro inhiabat, quo communiter deficiente neuter habet quod alteri imputet.* Contrarii quidem sunt Jcti modo allegati. Ratio tamen Stryckiana hîc prævalet non obstante *L. 29. ff. Pro Socio.* Quanquàm certo casu operæ pretium etiam sorti adjectum videatur: v. c. si pecunia impensa fuerit in merces rudes, quibus tractandis & concinnandis opera ab altero fuit impensa. D. Puffendorf. *L. 5. c. 8. ih. 3.* Cujus opinioni id addere liceat: inesse hic quandam specificationem, quæ specificanti per operam suam dominium aut partem domini adjicit *arg. §. 25. & sequ. Inst. de R. D.* Cœterum id addendum de Leonina societate, eandem Juri Naturæ adversari. Ita enim naturali societati utilitatum inest communio, ut sine eâ nequeat societas subsistere. Grot. *d. l. n. 3.* & Puff. *ih. 3.*

Ad


Ad th. 32.] De Societate universorum bonorum id rectè moment Grot. *all. l.* & Puffendorf, *all. l.* in illa non id quod hinc aut illinc obvenit, sed quod probabiliter sperari poterat comparandum esse.

Ad §. 36.] Societatem morte finiri nec continuari ad hæredes, commentum meri Juris Civilis vult esse Grot. *L. 2. c. 16. th. 16. n. 4.* Cui temperamentum Hahnii addendum. Notari, inquit ille, in iis potest, quod dicitur morte solvi societas juxta Grotii *all.* locum, nec esse ex Jure Naturæ nec gentium sed Civili Romano, pro quo est, quod hæres communiter succedat in jus defuncti, quodque idem receptum in societate vectigalium. *L. 59. 63. §. 8. ff. Pro Socio:* Tamen hõc eodem jure ob publicam utilitatem constitutum est. Alioquin nec contra Jus Naturale, sed præter est finitio societatis per mortem, tum quia idem in mandato; tum quia fides & industria electa in hõc contractu respuit translationem ad hæredes, in *Not. ad Wesenb. Tit. Pro Socio n. 11.* D. Simon. in *Not. Grot. p. 391.* Hinc in pacto continuari quadantenus posse in hæredem societatem docet. D. Stryck. *d. l. th. 8.* Aliter Felden sentit. *ad d. l. Grot.*

Ad §. pen. & ult.] Actiones pro Socio ex jure societatis dependent. Coeterum Negotiatoriæ isti Societati simillima est *Societas navalis*, quam vulgo *Admiralitatem*, Græci *σύμπλοιαυ* aut *ὁμόπλοιαυ* vocabant. Grot. *L. 2. t. 12. th. 4.* in quâ edversus Piratas utilitas communis est *ipsa defensio* interdum & *præda*, *ibidem th. 25.* ita ut cõputatio & compensatio Dominis navium fiat secundum regulas Legis Rhodiæ. Simon. in *not. p. 320.* Videantur hæc de materia *Edicta & Ordinationes à Rege Hispaniarum Statibus Hollandiæ, Civitate L. J. Hamburgensi edita, & fusissime Marquardus de Jure Mercatorum, Loccenius, Strymannus, Clarkius, Grosius in introd. Batav. aliq; allegati à Kulpisio Ex. Grot. 6. p.*

72. quibus jungendus merito Reinhold Kuricke de Jure Maritimo Hanseatico.






De Societate Anteriorum...


14. Societas... deinde...

Ad 1. et 2. Adhuc...

Handwritten signature or stamp at the bottom of the page.







99 A 6917

ULB Halle
002 546 884


3




Handwritten mark

VJ 17 Retro ✓







33

Q. B. D. V.

DISPUTATIO X.
HARMONIÆ
STRUVIO-SCHNO-
BELIANÆ,

Quam cum

*Additis Observationibus Grotia-
nis Parallelis,*

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS SCHULTZII,
J.U.D. INSPECTORIS ET ATHENÆI
GEDANENSIS, P.P.

Anno M. DC. XCI. die XI. Octobr.

IN AUDITORIO ANATOMICO,

Horis matutinis.

Publicè ventilandam exponet

RESPONDENS

NICOLAUS von SCHWARZBERG
Nob. Svec.

GEDANI,

Typis DAVIDIS FRIDERICI RHETIL.